



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Cap. XX. Quid sit virtus, & quotuplex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

*rantia usus & possessio illius: à prudentia inuentio illius.* Alii autem Decorum appellare malunt: alii Honestatem: alij denique eam actionum nostrarum formam Virtutem nuncupant, quo maxime nomine hinc à nobis appellabitur. Est enim tum veteribus, tum recentioribus vox magis visitata, quæ vel ipso sono aliquid splendidum, atque inter homines commendatione dignum continere atque sonare videtur. De qua nobis idcirco est paulò latius, sed tamen quam breuiter pro suscepti operis argumento fieri poterit, nunc dicendum.



## CAP. XX.

Quid sit virtus, & quotuplex.

**V**AM Latini Virtutem vocant, Græci homines *Αρετήν* dixerunt, Hebræi autem *מדות Middah*. Virtus à viro, non à vi vel violentia, quemadmodum imperitè Durandus existimat, deriuatur. Quia enim maxime viro digna est virtus, imprimis autem ea, quæ fortitudo appellatur, factum est ut illa propriè virtus primùm diceretur, à qua cæteræ postea honestæ & viris dignæ actiones omnes sūt generaliter Virtutes denominatæ. M. Tullius libro 2. Tusculanarum Quæst. nostram sententiam confirmat his verbis, *Atqui vide, ait, ne, quum omnes recte animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium: sed*  
ab ea



ab ea una, que ceteris excellat, omnes nominata  
sint. Appellata est enim viro virtus: viri autem  
propria maximè est fortitudo, cuius munera duo ma-  
xima sunt, mortis, dolorisque contemptio. Ἀρετὴν ve-  
rò ἀπὸ τοῦ ἀπεισοῦς, quòd & maximè eligenda sit  
virtus: & quòd nulla actio laudem meretur, vel  
virtus dici debet, nisi quæ certo animi iudicio,  
electione & proposito fiat à nobis. Nam quæ  
rectè vel vi coacti, vel ignorantes agimus, ea vir-  
tutis nomen minimè merentur. Ἀρετὴν vocem  
vsurpauit Petrus 2. Epist. cap. I. vers. 5. & Paulus  
quoque Philipp. 4 vers. 8. vbi etiam eam variis e-  
pithetis videtur definiisse. Middah verò Hebræ-  
is Mēsurā est, à qua virtus est appellata, quòd ea  
demum actio nostra virtus censenda est, in qua  
modus ratioque à Dei Lege præscripta, tanquā  
mensura quædam, diligenter obseruata est. Que  
enim ab illius præscripto discedit, propriè, et si  
rem ad viuum refecit, virtus dici non potest. Ex  
quo fit, vt rectè ab Aristotelicis mediocritas sit  
appellata. Est enim virtus, vt Plutarchus in libro  
De mor. virtute scribit, motus animi, qui id quòd  
ultra vel citra modum est appetitionis auferens, v-  
numquemque animi motum ad mediocritatem recti-  
tudinēque perducit. Inde Lactantius libro 6. ca.  
14. Seueritas etiam, ait, nisi se intra congruentes no-  
centium pœnas coerceat, fit seua crudelitas. Da-  
mascenus Ἀρετὴν ἀλγῶσις ἐστὶ τοῦ νόμου τοῦ θεοῦ. Ex  
quibus omnibus cur virtus, vel mēsurā, vel me-  
diocritas appelletur, satis intelligi potest. Iā ve-  
rò quid sit virtus, postquam de nominis ratione  
cōstat, explicemus. In quo primū mirari nos  
minimè oportet, si non est ab omnibus res vna  
m.iiij.



& eadem iisdem verbis definita. Quum enim  
esset illius natura per se difficilis & obscura, ho-  
mines eam variis modis illustrare conati sunt. I-  
taque alij formam eius, & tanquam essentiam  
scrutati sunt: alij effecta potius spectarunt: alij  
accidentia quædam, quæ virtutem, tãquam um-  
bra corpus, solent comitari. Ex quo factum est,  
vt verbis quidem diuersæ virtutis definitiones  
excuderentur, re tamen vna omnes essent. Pla-  
tonici quum omnia ad diuinam mentem, tan-  
quam verissimã rerum omnium causam & men-  
suram referrent, virtutem definirunt viuũ cha-  
racterem & effigiem eius ideæ, quæ est in men-  
te Dei, sed in hominis animo impressa nos ad  
bene agendum excitat & dirigit. Hoc etsi non  
vsquequaque est à vero alienum, est tamen ma-  
gis argutum & subtile, quàm vt facile à quouis  
intelligi & percipi queat. Itaque Augustinus li-  
bro 4. contra Iulianum cap. 3. hanc definitionem,  
tanquam omnino ineptam, ex Christianorum  
scholis non explodit: tamen aduersus eam  
Aristoteles quasi pro focus & aris lib. 1. Ethic. a-  
cerrimè depugnauit. Aristoteles ipse lib. 2. cap.  
6. aliam adduxit, quam desumpsit ab ipsius a-  
ctionis honestæ efficiendæ modo, & velut me-  
tis, quæ sunt in virtute spectandæ. Virtutem e-  
nim ait esse habitum animi, qui non modò ra-  
tione, sed etiam animi electione agit, ea medio-  
critate, quam vir prudens præscripserit. Itaque  
& prudentiam esse cæterarum virtutum mode-  
ratricem atque directricem vult: & virtutẽ esse  
inter duo quædam extrema quiddam medium  
constituit: imprimis autem eam, quam Mora-  
lem



lem vocant, cuius vis omnis in actione, quem admodum Tull. loquitur, consistit. Aristoteli autem assentitur Flaccus, qui sic cecinit,

*Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,  
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

Quid Stoici de virtute definienda senserint, tum ex Cicerone & Plutarcho, tum etiam ex Diogene Laertio in vita Zenonis Cittiaei satis intelligi potest. Cicero ipse virtutem modò rectam rationem: modò rationem absolutam esse dixit. Atque hi omnes eodem videtur collimasse, nimirum, ut eam actionum nostrarum speciem & administrationem, quæ ad veram & perfectam rationis præscriptum reuocata est, Virtutem appellarent. Sententiarum verò virtutem esse definiunt actuum nostrorum determinationem, quæ cum humanæ, qualis nunc restat in nobis, rationis, tanquam veræ suæ regulæ dictamine quadrat & consentit. In quo illi pessimè, qui humanæ & nostræ, id est, cæcæ rationis iudicium pro idonea nostrarum actionum censura & canone constituunt, quem ex ipsa cælesti Dei Lege sumere potius oportebat. Veniamus ad Patres Ecclesiasticos, quorum sententia, certè quidem quàm Scholasticorum longè & verior est & tutior. Virtutem igitur ab effectis ita lib. 6. cap. 5. definit Lactantius, *Virtus est, iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem refrænare, id est, vitium fugere. Nam ferè omnia, quæ sunt iniuste atq; improbè, ab his oriuntur affectibus.* Item, *Virtus est sedatio omnium turpium commotionum atque affectuum nostrorum.* Hæc certè maxima sunt virtutis effecta, sed non sola. Nam ut omnes actio-



nes nostræ ad Dei metum comparatæ sint, illa infestissima vitia, tãquam hostes voluntatis Dei coniuratos, in nobis cohiberi atque coerceri prius oportet. Augustinus libro 83. quæst. 31. sic scribit, *Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus, cuius partes sunt, quatuor, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia.* Sed quòd modum naturæ nostræ consentientem, siue consentaneum optimam virtutum normam & formã esse scribit August. de prima natura nostra & adhuc integra, nondum autem corrupta sanè accipiendum est. Plures ex aliis Patribus, tum Græcis, tum Latinis definitiones afferri possunt, sed nos breuitati studem<sup>9</sup>. Ex his enim omnibus iam facillè colligetur, Nihil aliud esse veram virtutem, quàm nostrarum actionum ad Dei Legem, quæ recta ratio est, exæquationem. Quod vt fiat, & vitia fugienda sunt, & mediocritas ex Dei Spiritu prudenter tenenda. Quotuplex autem sit virtus, quæsitum est. In quo primùm eorum opinionem, tanquam minimè probabilem reiicio, qui omnes virtutes vnã tantùm virtutem esse voluerunt, quæ nominibus variis pro diuerso obiecto nominatur. Eã enim quum in pecunia largienda versatur, Liberalitatem dici: quum in contractuum, & humanæ societatis iure tuendo, Iustitiam: quum in belli periculis sustinendis, animi Fortitudinem appellari. quam sententiã Menedemus Eretrienfis primus (vt in libro De morali virtute Plutarchus scribit) induxit. Platonici igitur, (vt inde diuisionem virtutum ordiar) virtutes ex officio & sine triplices faciunt.

Alias



Alias enim vocant { Ciuiles,  
Purgatorias,  
Exemplares.

Ciuiles, quæ ad communem ciuium societatem conseruandam pertinent, atque sunt accommodatæ. Itaque illæ minimè omnium exactæ atque perfectæ esse solent, quia nec eorum, quibus insunt, animi (quales sunt hominum in Reipubl. fluctibus versantium) tam perfecti esse possunt. Purgatoriæ sunt, quæ purgant animos nostros vitiosis affectibus, eæ verò iam sunt superioribus pleniores. Exemplares sunt omnium perfectissimæ ex Platoniorum sententia, quæ ad diuine mentis ideam proximè accedunt. Scholastici alia quædam virtutum genera constituunt: tria nimirum hæc. Alias enim faciunt

{ Acquisitas à nobis,  
Infusas à Deo supranaturaliter,  
Dona.

Quanquam verò quidam ex istis hominibus dona à virtutibus toto genere disungere videtur. quòd per dona statim & promptè, & in repentinis operamur: per virtutes autem, siue comparatas à nobis, siue infusas à Deo tantùm pedetètim, & non tam citò, sed paulatim ipsa aptitudine per consuetudinem, & repetitos actus incrementum capiente in nobis: tamen, vbi quis omnia subduxerit, non multum ab infusis virtutibus dona illa, quæ vocant, differre comperiet. Quòd autem virtutes quasdam à nobis ipsis comparari posse putant, propter diurnam agendi consuetudinem, est huiusmodi, vt partim verum sit, partim falsum. Ac verum quidè, quòd assue-



factio longa & diuturna nos ad idem repetendum aptiores & inclinatiores quodammodo facit: ut qui idem iter sapius confecerunt, sunt in eodem peritiores reliquis. Falsum autem, quod nec acquisitio, nec possessio, nec retentio virtutis à nobis esse potest: sed à Deo, utpote qui natura bene agere non magis expetamus, quam bos volare. Id quod superiori disputatione satis demonstratum esse confidimus. Nam non nos ipsi per nos, quod tamen illi sentiunt, non ullis vel operationibus, vel motibus, & affectibus nostris illam ad diuinam illam Legem collimandi voluntatem, vel aptitudinem comparamus: sed ad eam nos Dei Spiritus & corde & corpore format. Tam enim ille operatur in nobis illud, quod in cordibus nostris bonum est & latet, quam illud quod in membris & externis actionibus bonum est & apparet. Comparare tamen quandam ad honesta officia aptitudinem, & quasi facilitatem videmus, quum Dei Spiritu impulsus, idem bonum opus sapius repetimus, non quidem quod ex externa illa actione, quantumvis iterata & à nobis repetita, ullus habitus aut qualitas animis nostris, vel ipsis corporis membris inhereat & imprimatur, per quam immutemur, & boni permaneamus: sed quod facilius tantum & expeditior sit & notior nobis istius rei iterum agenda ratio & via. Sed voluntas tamen nostra omnino propter diuturnam illam assuefactionem minimè immutatur, nec aliquam impressam qualitatem sentit, vel habet (tribueretur enim impie externo operi, quod solius Dei proprium opus est in nobis, nimirum ut immutemur) sed à solo Dei



solo Dei Spiritu, qui habitat in nobis, fit & in-  
 datur illa bene agendi affectio continuatioque.  
 Itaque quum primùm effunditur à nobis Dei  
 Spiritus, atque nos deserit, tum statim redimus  
 ad ingenium, & tam praua est, atque illi ipsi o-  
 peri bono, quod antea tã saepe & lubenter facie-  
 bamus, contraria voluntas nostra, quàm si nun-  
 quã illud fecissemus. Tã enim facile quispiã pe-  
 stea quàm à Dei Spiritu relictus est, immiseri-  
 cors est, auarus est, tenax est, fur est, adulter est,  
 etiam is, qui contraria omnino opera prius Dei  
 Spiritu impulsus edebat, quàm si nunquam iis  
 vitis abstinuisset, quia semẽ ipsum peccati sem-  
 per in nobis est, & vbi Dei Spiritus nos deserit,  
 statim vis peccati reuiuiscit, neque vi iteratã à  
 nobis actionis istius extinguitur, sed sola vi Spi-  
 ritus Dei in nobis agẽtis. Itaque falso docemur  
 virtutes, qualitatẽsque bonas per longam & assi-  
 duam bene operandi assuefactionem nobis ani-  
 misque nostris imprimi, quum tota illa vis & af-  
 fectio sit donũ & actio Spiritus ipsius Dei nos  
 impellentis, & mutantis. Quod ipsum cũ Chri-  
 stianis præclare sensit Plato in Menone, nimirũ,  
*Virtutem humana neque natura, neque doctrina,*  
*neque exercitatione parari posse: sed merum Dei do-*  
*num esse. Vti Sibylla diuinitus afflata res mirabiles*  
*respondent: Deo destituta, similes sunt reliquarum*  
*mulierum: sic homines iustos & fortes esse, tantisper*  
*dum diuino afflatu excitantur.* Ex quo ipso est illa  
 Homericã sententia, sanè vetus, quæ ab eo libr:

5. Iliados his versibus descripta est,

*Ζεὺς δ' ἀρετῶν ἄνδρεςσιν ὀφέλλει τε μιν ὀθεῖ τε,  
 Ὅσπῳ κεν ἐθέλων ὁ γὰρ κράτιστος ἀπάντων.*



Itaque illa Sententiariorum opinio prorsus re-  
iicienda est, quæ ipsi iterationi actionis hoc ef-  
fectum & tantum Dei donum tribuit. Est igitur  
alia & tertia quædam virtutis diuisio, quæ nobis  
omnino probanda videtur. Est autem hæc, ut  
virtus alia dicatur

{ Heroica, & maior, quàm cōmunis ho- minum piorum cō- ditio ferat.	{ Perfecta, quæ de- finitur esse animi habitus & <i>ἦθος</i> ,
{ Humana & ea qui- dem, vel	

Atque de his omnibus sigillatim dicamus: atq;  
ab ea, quæ Heroica nominatur, sumendum di-  
sputationis exordium est.



## CAP. XXI.

De virtute Heroica, & illi contrario vitio.



**Q**UANTIS Sententiarij virtutes à do-  
nis Dei extraordinariis, per quæ ali-  
quid rectè honestèque agimus, toto  
genere diuersas esse, atque dissimiles  
putant: nos tamen, qui cum animum & volunta-  
tem, per quam rectè operamur, Dei donum v-  
bique esse demonstrauius, etiam virtutes ap-  
pellabimus eximia illa & supranaturalia Dei  
dona